Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2803
Quelle:
Copyright:

medio relinquam, partim, quia nec proponendi modus, nec dictio *Robertum* prodere videtur, partim, quia de his Sermonibus silent, qui illius opera enumeravere.

II. *fol.* 50. rubro: *Incipit tractatus super Aue maria editus a fratre Augustino de Ancona magistro theologie fratrum Heremitarum sancti Augustini.* Initium: *Quatuor mihi timorem ac tremorem faciunt loqui de virgine gloriosa* &c. Finitur Tractatus hic *fol. 81. p. 2.* et statim absque novo titulo consequitur *Tractatus* ejusdem *Augustini* cognomine *Triumphi de Ancona* Super *Missus est* hoc initio: *Que cum audisset &c. Postquam euangelista posuit persone salutantis condicionem* &c. Uterque frequentius lucem vidit, puta *Lugd.* 1506. *Romae* 1590 et 92. *Matriti* 1648. ut habes in *Fabricii Bibl. med. et. inf. Lat. L. I.* et *Offingeri Bibl. August p. 45.*

III. *fol.* 107. Farrago Notandorum de diversis materiis dogmaticis et asceticis: v. g. de *Incarnatione*, *Iudicio extremo*, *Anima humana* &c. Initium absque titulo est: *Notandum est, quod christus in hunc mundum in carne veniens venit cum octo singularibus priuilegiis* &c. Compilatorem e *Franciscana* fuisse familia probat *fol.* 110. p. 1. *vexillator ille seraphicus franciscus pater noster quem vidit Joannes in apoc. 7. ab ortu solis habentem signum dei viui quia sacris stigmatibus in manibus et pedibus et latere signatus in mundo gerens habitum per omnia quasi cruci simillimum.* In fine quaedam deficiunt.

DCCLXV.

Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 318. f. per duas columnas luculente scriptus continet *Sermones* CXLIX. non eos, quos post alios commemorat *Fabricius in Bibl. med. et inf. Lat. L.* II. p. 240. *de Tempore et Sanctis*, sed mixtos de diversis morum materiis et SS. laude Fratris *Bertholdi de Ratisbona* O. M. celeberrimi aevo suo Verbi Dei per *Sueviam*, *Bavariam* et *Austriam* Praeconis, qui obiit anno 1272. XIX. kal. Ian. ut ejus Epitaphium in Conventu *Ratisbon.* quod apud *Andream Presb. Ratisbon.* in *Chronico*, *Ambergae* 1602. p. 205. 4. praesto est, testatur. Plurima de hoc Viro congessit *Oudinus* T. III. *col.* 443. quem, si lubet, adi. Nos Codicem describemus. Possessor, et, ut videtur, exarator ejus fuit *Johannes Hofkircher*, a quo Comites hujus nominis in *Austria* deinceps genus duxere, quorum Insigne gentilitium anteriori thecae adpictum est, addito nomine *Hanns Hofkircher &c. Fol* 1. p. adversa legitur: *Hin ist hin*, quod Viri symbolum fuisse putem, *Hie heb ich das puch an In dem namen gotcz vnd der heiligen Iunckfraunn maria vnd heiligen driualltikait vnd ist angehebt wardnn an Mantag nach sannd vallentin tag anno domini M° CCCCXLIIII Iar got geb das ich es allso vollennd durch* 276